



# The Holy See

---

LITTERAE APOSTOLICAE  
MOTU PROPRIO DATAE\*

***IN FRUCTIBUS MULTIS***  
CONSTITUITUR PONTIFICIUM CONSILII INSTRUMENTIS  
COMMUNICATIONIS SOCIALIS PRAEPOSITUM

**PAULUS PP. VI**

In fructibus multis, quos, non sine benignissimi Dei ope et auxilio, e Concilio Oecumenico Vaticano II Christi percepit Ecclesia, aequum esse numerare censemus Decretum de instrumentis, quae appellant, communicationis socialis, quod, in, publica sessione die IV mensis Decembris superiore anno habita, Oecumenica Synodus rite probavit, Nosque promulgavimus.

Haec enim subsidia — in quibus profecto scripta typis edita, telehorama, radiophonicum inventum et cinematographeum magni aestimanda sunt — ob artas rationes, quibus inter se cohaerent, postris hisce temporibus tanti ponderis afferunt quaestiones, ut non solum populorum cultum et humanitatem, atque publicos mores, sed religionem ipsam attingere videantur; ob eamque causam hodie eadem praeterquam a sacrorum Antistitibus assiduas curas et a singulis christifidelibus sollicitam industriam, ab universis etiam cordatis hominibus alacrem postulent operam.

In quibus instrumentis quantum esse momentum Ipsi opinemur ad catholicam rem quod attinet, ex verbis cogi facile potest, quae sollemini eadem opportunitate fecimus: *Alter fructus, isque non parvi ponderis, Concilii nostri est Decretum de instrumentis, quae votant, communicationis socialis; quod aperte testabitur facultate Ecclesiam pollere, cum vita interna iungendi externam, cum contemplatione actionem, cum precibus apostolatum. Hac etiam re Synodus nostra efficiet, ut rette dirigantur ac provehantur plurimae agendi rationes ac formae, quae, sive ut instrumenta sive ut documenta, tum perfunctioni munera pastoralis, tum universae catholicorum alacritati in orbe terrarum iam subserviunt* (Ex Allocutione ad Patres Conciliares, habita die IV mensis Decembris, anno MDCCCCLXIII: AAS, LVI, 1964, p. 35).

Has ob causas vehementer optamus ut, non secus atque ceterae normae a Concilio Oecumenico Vaticano II, afflante Spiritu Sancto, probatae, ita Decretum hoc diligenter fideliterque efficiatur. Ad quod valde prodesse putamus, si sine mora peculiare condiderimus Consilium, cui tota sit res huiusmodi demandata.

Iam Decessor Noster fel. rec. Ioannes XXIII, sui Pontificatus fere initio, Litteris Apostolicis motu proprio datis, a verbis

Boni Pastoris incipientibus (AAS, LI, 1959, pp. 183-187), Pontificium Consilium, firmum ac stabile, novo constituit ordine, cui erat propositum, *ut varias de re cinematographica, radiophonica ac televisifica quaestiones examinaret, suo foveret adiumento ac dirigeret secundum mandata normasque, Encyclicis Litteris, quibus a verbis «Miranda prorsus» initium, proposita et secundum alia Sedis Apostolicae praescripta in posterum edenda* (Cf *ibid.*, p. 185).

Idemque Consilium, ex illo tempore Officio publicis Ecclesiae negotiis accurandis aggregatum (Cf *ibid.*, p. 187), tam alacriter tamque enixe muneribus praefuit suis, ut in communem venerit existimationem.

Porro Patres Concilii Oecumenici Vaticani II opus esse animadverterunt, ut hoc Consilium, viris rei peritis ex variis nationibus atque etiam ex ordine laicorum ascitis, industriae suae fines ad omnia communicationis socialis instrumenta proferret, scriptis scilicet typis editis non neglectis (Cf Decretum de instrumentis communicationis socialis, art. 19; AAS, LVI, 1964, p. 152).

Itaque, quoniam cum tam gravi Venerabilium Patrum Concilii opinione Nostra congruit sententia, Nos, commemorati Consilii mutato nomine et munerum provincia amplificata, motu proprio, certa scientia ac matura deliberatione Nostra, harum Litterarum vi perpetuumque in modum constituimus *Pontificium Consilium instrumentis communicationis socialis praepositorum*; cuius curae, si causa perpendatur catholicae religionis, demandamus res cinematographicas, radiophonicas et televisificas, atque scripta typis vel cotidie vel per intervalla edita. Ad huius autem generis scripta quod spectat, operam Consilium conferet, ut ea incepta suscipiantur, quae Apostolica haec Sedes in re tanti momenti opportuna duxerit.

Praeter officii partes, quae ex commemoratis Litteris Apostolicis Boni Pastoris huic Consilio attributae sunt, ipsius erit principia et normas exsequi Decreti, a Concilio Oecumenico Vaticano II dati, de instrumentis communicationis socialis, itemque, iuxta eiusdem Decreti art. 23, *Instructionem Pastoralem*, quam vocant, scriptis mandare ad Nostrumque iudicium deferre.

Quemadmodum patet, praecipua Consilii sollicitudo in eo versabitur, ut, ad sententiam Decreti Conciliaris, locorum Ordinarios auxilio iuvet, in Pastoralium munera suorum exercitatione, quae ad hanc rerum regionem attineant (Cf *ibid.*, artt. 20 et 21).

Quae vero rationes Consilio intercedunt cum Sacris Romanae Curiae Congregationibus — quorum potestates facultatesque nullo modo mutare hisce Litteris Apostolicis mens est — normis regentur, Litteris Apostolicis Boni Pastoris statutis (Cf AAS, LI, 1959, pp. 185-186).

Ut autem novis gravibusque muneribus suis satisfacere possit, Consilium opportunis ad agendum subsidiis instruetur, atque adiutrice opera fruetur virorum ad usum instrumentorum communicationis socialis peritorum, quorum congruens numerus ab Apostolica Sede in Consilium ipsum asciscetur.

Ita profecto fiet, ut Pontificaum hoc Consilium, pro officio suo, ratione servata, cum doctrina Ecclesiae cumque nostri temporis necessitatibus consentanea, magno usui vulgandaे veritati sit, adeoque populorum concordiae conciliandae; quoniam, ut Decessor Noster fel. rec. Ioannes XXIII monuit, *si veritati opera tribuatur, hominibus fraterno amore coniungendis ea simul impendetur* (Cf *Allocutio ad sodales e Societate, quant «Association de la Presse étrangère en Italie» vocant*, habita die XXIV mensis Octobris anno 1961; AAS, LIII, 1961, p. 723).

Quaecumque vero a Nobis hisce Litteris motu proprio datis decreta et statuta sunt, ea omnia firma et rata esse iubemus, contrariis quibuslibet nibil obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die II mensis Aprilis, anno MDCCCLXIV, Pontificatus Nostri primo.*

**PAULUS PP. VI**

\* AAS 56 (1964), pp. 289-292

---

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana